

- 30 videre videor iam diem illum quom hinc egens  
 profugiet aliquo militatum. *SY.* o Demea, 385  
 istuc est sapere, non quod ante pedes modost  
 videre sed etiam illa quae futura sunt  
 prospicere. *DE.* quid? istaec iam penes vos psaltrast?  
 35 *SY.* ellam intus. *DE.* eho an domist habituru'? *SY.*  
 credo, ut est  
 dementia. *DE.* haecin fieri! *SY.* inepta lenitas 390  
 patris et facilitas prava. *DE.* fratri' me quidem  
 pudet pigetque. *SY.* nimium inter vos, Demea, ac  
 (non quia ades praesens dico hoc) pernimum interest.  
 40 tu quantu' quantu's nil nisi sapientia es,  
 ill' somnium. sinneres vero illum tu tuom 395  
 facere haec? *DE.* sinnerem illum? aut non sex totis  
 mensibus  
 prius olfecissem quam ille quicquam coeperet?  
*SY.* vigilantiam tuam tu mihi narras? *DE.* sic siet  
 45 modo ut nunc est quaeso. *SY.* ut quisque suom volt esse itast.  
*DE.* quid eum? vidistin hodie? *SY.* tuomne filium? 400  
 (abigam hunc rus.) iamdudum aliquid ruri agere arbitror.  
*DE.* satin scis ibi esse? *SY.* oh qui egomet produxi. *DE.*  
 optumest:  
 metui ne haereret hic. *SY.* atque iratum admodum.  
 50 *DE.* quid autem? *SY.* adortust iurgio fratrem apud forum  
 de psaltria ista[c]. *DE.* ain vero? *SY.* vah nil reticuit. 405  
 nam ut numerabatur forte argentum, intervenit  
 homō de improviso: coepit clamare "[o] Aeschine,